

Processio operationis, operati, per modum operati. Processiones ad intra (seu ex principio intrinseco) dividuntur secundum comparisonem principii et principiati.

Processio ad intra dicitur operationis ubi comparatur principium ad principiatum sicut potentia ad actum. Ita ex visu oritur actus videndi; sed visus comparatur ad actum videndi sicut potentia ad actum; et ideo processio actus videndi ex visu est processio operationis. Porro, cum nihil in Deo sit imperfectum et perfectibile, in Deo esse non potest processio operationis.

Processio ad intra dicitur operati ubi comparatur principium ad principiatum sicut actus ad actum. Ita ex actu, quo videtur delectabile, oritur appetitio; appetibile enim apprehensum movet appetitum; sed videre comparatur ad appetere sicut actus ad actum; et ideo processio actus appetendi ex actu videndi est processio operati. Sed in Deo non est nisi unus actus infinitus, et ideo in Deo esse non potest processio operati.

<sup>Quare</sup>  
~~Et ideo~~ excogitata est processio ad intra per modum operati, ut scilicet ad intra oriatur actus principiatus ex actu principiante, ita tamen ut actus principians et actus principiatus non distinguantur nisi secundum esse relativum. Et eiusmodi est processio divina, uti constat ex determinatione fundamentali.

Conclusio. Processio ergo divina est ~~per modum operati~~ neque factio neque creatio neque materialis quaedam generatio; non est ad extra sed ad intra; non est ex principio quod Deo sit extrinsecum sed ex principio intrinseco; non est processio operationis neque processio operati; et est tum uti in determinatione fundamentali dictum est tum etiam brevius processio per modum operati.

Quod si quis vel hanc conclusionem vel praecedentem argumentationem considerat, tria invenit notanda.

Primo, sicut tota argumentatio ita etiam conclusio ultra principia communia non procedit. Agitur de eo quod est vel non est, de eo quod est vel idem vel aliud, de eo quod est vel ab vel de intra et extra, de intrinseco et extrinseco, ex vel in, de potentia et de actu, de distinctione secundum esse absolutum et de distinctione secundum esse relativum.

Deinde, quamvis per multa et etiam subtiliora dicta sint tum de principio processionis tum etiam de principiato, nulla facta est diversificatio processionis secundum quod processio est. Citatum utique est illud S. Thomae: ". . . secundum diversitatem naturarum diversus emanationis modus invenitur in rebus" C. Gent. IV, 11, §1. At huius principii nullus adhuc factus est usus.

Tertio, nisi ultra principia communia proceditur et principia propria investigantur, ~~xxxx~~ consideratio processionis necessario erit tantummodo metaphysica, neque ullus erit possibilis usus principii a S. Thoma enuntiati. Ad idem enim redit considerare principia propria, vel considerare particulares rerum naturas, vel ipsam processionem considerare secundum quod processio est.

Sed cum naturam Dei immediate non cognoscamus, naturam divinae processionis immediate cognoscere non possumus; quam ob causam ad alteram argumenti partem nunc procedendum est ut analogia quaeratur secundum quam ~~hinc~~ modus divinae processionis concipi possit.